



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE CHRISTO CAPITE|| TOTIVS ECCLESIAE,|| QVINQVE LIBRIS|| explicata.||

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

IX. Proponitur tertius error refelle[n]dus de descensu Christi ad inferos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53845](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-53845)

& in inferno morte occisam, vult dicere, Christum descendisse ad loca inferorum, ut inde Sanctos eriperet, & deinde locum illum obstrueret, ne ad eum amplius nulli descenderent, qui in eum crederent, eumque diligerent.

### C A P V T I X.

*Proponitur tertius error refellendus de descensu  
CHRISTI ad inferos.*

**S**EQVITVR TERTIA explicatio, quae est BUCERO, in cap. 27. Matth. & BEZAE in cap. 2. Actor. qui docet, intelligi sepulcrum in Scripturis nomine inferni; proinde nihil esse aliud, Christum descendisse ad inferos, quam sepultum esse.

CALVINVS partim hanc sententiam sequitur, partim eam refellit. Nam in Psalm. 15. vbi nos habemus: Non dereliques animam meam in inferno, ipse vertit, Non derelinques animam meam in sepulcro. Et lib. 2. Instit. cap. 16. §. 9. cum Bucero dicit, fabulam esse, quod sint loca animarum subterranea, & quod ad ea Christus descenderit; tamen in hoc dissentit, quod descensum Christi ad inferos, qui ponitur in Symbolo, non vult esse sepulturam, sed, ut iam refutauimus, descensum ad poenas damnatorum.

Si quis petat à Caluino & Beza, vbi fuerint ante Christi mortem animæ iustorum. Respondent, fuisse in cœlo, licet nec viderint Deum, nec sint visuræ usque ad diem iudicij. Ita Caluinus in psychopannychia, & Beza in libro contra Brentium de Christi maiestate, parte secunda, vbi de ascensione disputat.

Ad refutationem igitur huius sententiae tria probanda sunt. PRIMO, inferos esse loca subterranea distincta à sepulcris. SECUNDO, animas ante Christi mortem non fuisse in cœlo, sed in inferno subterraneo, & proinde Christum, qui ad locum animarum descendit, in infernum subterraneum descendisse. TERTIO, directe Christi animam de-

scendisse ad inferos, à sepulcro  
distinctos.